

appendice eas quaestiones quae in codice Germanensi traditae editioni centum uiginti septem deessent. Benignissime permissum est mihi ut de codicibus hic disseram.

Quaestionum CXXVII codices antiqui, quos adiutus ab amicis doctissimis H. Brewer, S. I., et I. van den Gheyn, S. I., Bollandista, indagare potui, sunt hi:

M Primum locum obtinet Mettensis (Stadtbibliothek) 322, s. X, olim ecclesiae cathedralis S. Arnulphi-Mettensis, ut testatur saepius ipse codex, 23.75 cm longus, 18.75 cm latus. Folia habet 212, sic digesta: 8 quaterniones + 2 terniones + 8 quaterniones + 1 binionem + 8 quaterniones + 1 binionem, omnes sine numeris:¹ folia duo exteriora ante initium operis unumque post finem, a coagmentatore addita, continent Sallustiana quaedam recentioris aetatis. Singulae paginae continent uersus 18, rarissime 19. Descriptus est liber a quattuor librariis, atque primus quidem maximam partem exarauit, qu. I—XXVI, qu. LXVIII (*numerum non impleuit* [p. 2258 u. 71] initio quaternionis) — LXXXIII (*non meritorum nostrorum* [p. 2276 u. 61] in fine paginae), qu. LXXXI (*utquid dicit* [p. 2284 u. 40] initio quaternionis) — CXII (*neclegit sed* [p. 2338 u. 54] in fine paginae), qu. CXIII (*-sauros sapientiae* [p. 2340 u. 31] initio quaternionis) ad finem, et in titulis scribendis litteris quadratis usus est: alter, senex, ut puto, qui antiquiorem morem scribendi seruabat, et omnium diligentissimus, qu. XXVII ad LXVIII (*omnem utique* [p. 2258 u. 71] in fine quaternionis) exarauit et ad titulos pulchra unciali scriptura usus est: tertius, qui qu. LXXXIII (*nam si* [p. 2276 u. 61] initio paginae) — LXXXI (*ceteri populi* (sic) [p. 2284 u. 40] in fine quaternionis) exarauit: quartus denique qu. CXII (*hortatur dum* [p. 2338 u. 54] initio paginae) ad CXIII (*omnes the-* [p. 2340 u. 31] in fine quaternionis) rudis et inscius exscripsit.² Variarum quoque manus correctiones temptauerunt: prima correctoris (*m 2*) qui exemplar cum codice originali diligentissime contulit et praetermissa in margine suppleuit, altera recentioris aetatis quae nonnulla corrupit (*m 3*), tertia quae multa absurde mu-

¹ Foliis quoque desunt numeri.

² In distinguendis his manibus iudicio amici A. E. Turner Londiniensis uti mihi contigit.